



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regvla XXVI. Ea quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium,
viribus non subsistunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

REGULA XXV.

Mora sua cuiuslibet est nociva.

Concordat Juris Civilis regula in *l. In condemnatione*, § *unicuique* *D. eod. tit.* Exempla extant in *cap. unico Ext. De commo. in cap. 2. Ext. De depof.* quibus locis commendatario & depositario mora sua nocet. Quando autem mora committatur, anxie à *Dd.* disquiritur. Nobis autem sufficiat tunc moram committi, quando quis interpellatus opportuno loco non solvit; ut tamen illud apud Judicem examinetur, *l. Mora 32. in princ. D. De usur.* qui & ejus rationem habiturus est, an interpellatus postea sui copiam fecerit, & creditor instantiam omiserit, & minime in proposito perseveraverit. Nam omisâ instantiâ creditor censetur à priorè interpellatione recessisse, *juxta d. l. Mora in fine princ.* Sicur & si, debitore offerente debitum, recuset creditor recipere. Nam & hac ratione mora prior, si qua fuit, ipsius debitoris purgatur per moram subsequentem creditoris, *l. Illud 17, D. De periculo & com. rei vend.* Et hanc moram, quæ ex persona sumitur, regularem Interpretes appellant; ad differentiam alterius moræ, quæ re ipsâ contrahitur absque aliqua denuntiatione creditoris; ut in fure & raptore, qui à tempore delicti semper in mora esse censentur, *l. 1, C. De his qua vi metusve causa*, *l. fin. D. De condit. furt. l. 1, §. rectissime*, & *l. penult. D. De vi & vi arm.* Item in debitore minoris xxv. annis, qui & absque interpellatione in mora constituitur; videlicet, in contractibus bonæ fidei, in fideicommissis &

in legatis, *l. 3, Cod. In quib. caus. in integ. restit. non est necess.* idque in favorem minoris ætatis. Item in emptore, qui è rempra & tradita sibi fructus percepit, nondum pretio à se soluto; nam propter fructus à se perceptos, tenetur venditori in id, quanti ejus interest, *l. Curabit §. C. De action. empti.* Hanc itaque moram, quæ re ipsâ fit, irregularem Interpretes vocant; cum regulariter mora non nisi per interpellationem committatur, *d. l. Mora in princ.*

Observandum tamen, in contractibus, ubi certus dies à contrahentibus, *l. Maligna 12, C. De contrah. stipul. l. 4, §. fin. D. De lege commis.* vel ab ipsa lege adjicitur, *cap. fin. Ext. De locato, l. 2, C. De jure emphyt.* moram statim per lapsum diei contrahi. Diversum est in obligationibus puris (de quibus jam antè dictum est) & in conditionibus; in quibus eventus conditionis non interpellat, neque in mora constituit debitorem; cum æquum non sit, ut quo die obligatio creatur, eodem quoque mora contrahatur, *ex l. Quod dicimus D. De solut. vide Costal ad l. Pecunia §. usurarum D. De usur.*

Neque movet, quod mora ipsius rei etiam fidejussori noceat, qui alioquin in mora non est, *l. Mora 88, D. De verb. oblig.* Quia id accessorie fit, propter obligationem ipsius rei, quam in se quodammodo recipit fidejussor. Accessorium enim naturam sequi congruit principalis, *cap. Accessorium inf. eod.*

REGULA XXVI.

Ea quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.

Vide quæ supra diximus, *ad cap. Quod quis mandato.*

REGULA XXVII.

Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus.

Convenit cum Regula Juris Civilis in *Nemo videtur fraudare D. eod.* Rectè inquit, *scienti & consentienti*, copulativè. Nec enim hinc Reg. locus est, nisi hæc duo simul conjungantur; quia quandoque scienti injuria fit, sed

non consentienti, quia reclamat, vel non audeat contradicere adversario, propter metum vel verecundiam, *l. penult. D. De furt.* quandoque fit consentienti, sed non scienti, id est, verè intelligenti, veluti pupillo, furioso, *l. 1, §. impubere. C. De*